

ergò tandem erit contradictionum finis ?
 Ad II. R. quod habeat nos sibi Bell. quo-
 ad summam rei ὁμοψήφως . Ad III. R. Bell.
 cum larvis pugnare, cum excludat Calvi-
 nus non imputationem justitiæ Christi,
 sed in sola peccatorum remissione justifi-
 cationem consistere asserens negat in re-
 missione peccatorum & renovatione si-
 mul eam quærendam esse, qua in parte
 maximè nobiscum consentit Calvinus.

33. Videns hoc Bellar. eò argumentor.
 suorum tela dirigit, quod justificatio non
 consistat in sola remissione peccatorum,
 sed etiam in interna renovatione, quo-
 modo cum non solum Calvinum, sed &
 nos petat. R. 1. Rom. 4. quamvis Rom. 6.
 ex quo locum priorem explicat Bell. pro-
 ponatur mors & resurrectio Christi, ut
 causa & exemplar nostræ renovationis,
 quæ in mortificatione veteris & resurre-
 ctione novi hominis consistit, tamen c. 4.
 non de exemplari, sed de merito passionis
 & resurrectionis Christi agitur, ut verus
 sensus sit, Christum passione & morte sua
 justitiam coram Deo valentem nobis pro-
 meruisse, ex qua nihil pro stabilienda sua
 sententia extorquere potest Bell. 2. Rom. 5.

per